Commentationes Dracontianae.

SCRIPSIT

CAESAR GIARRATANO

NEAPOLI
Apud Detken et Rocholl
MCMVI

Commentationes Dracontianae.

SCRIPSIT

CAESAR GIARRATANO

NEAPOLI
APUD DETKEN ET ROCHOLL
MCMVI

Greek Sather

Stab. Tip. F. Sangiovanni & Figlio — Vico Salata ai Ventaglieri 14

I.

De Dracontii codice neapolitano

Codex neapolitanus IV E 48, quo Dracontii pleraque carmina continentur, industria ac diligentia C. Iannellii repertus est, qui partem eius in appendice ad opera edita ab A. Maio, Romae, a. 1871 divulgavit. Deinde Fr. de Duhn in editione teubneriana, a. 1873, codicis speciem exteriorem descripsit omnesque lectiones iuris publici fecit. Sed priusquam Duhnii schedae emissae sunt, alteram codicis collationem Baehrens curavit, qua usus, Dracontii carmina, a. 1883, in volum. quinto poet. latin. minor. recognovit. Cum autem Duhnii et Baehrensii collationes aliquantum inter se differrent, totum codicem cum exemplari Duhniano, a. 1905, accuratissime contuli, ut omnes scripturae discrepantias dirimerem: itaque modo Duhnii, modo Baehrensii, modo utriusque editoris neglegentiam deprehendi; sed, ut brevitati studeam, lectiones a Duhnio falso relatas tantum adnotabo:

I. in inscript. *throchaico*, ut semper.

II. 8 *domitor* corr. ex *genitor*, 20 *coeli*, ut VIII. 34, IX. 99, 124, X. 4, 397, 36 *optans* et postea *optas*, 47 *coelum*, ut II. 75, 121, IV. 5, VIII. 99, 470, 654, IX. 39, 238, X. 11, 202, 73 *arcu cintus*, 142 *querebat*.

IV. 9 *poenitet*, 18 *te innos met*.

V. in inscript. *inmici* et postea *inimici*, *premii*, 23 *patrie*, 35 *remote*, 36 *quecunque*, 43 *circum eat*, 58 *fastiditus*, 77 *prestat*, ut VIII. 174, 83 *premia*, ut V. 93, 230, X. 387, 491, 507, 86 *saltim*, 91 *presumptus*, 103 *reos ni mortibus*, 125 *vestra* corr. ex *ve-*

strae, 126 *circundent*, 149 *prestabat*, in inscript. post vv. 167, 182, 223 *questio*, 182 *pretereunte*, 185 *prestant*, ut X 452, 225 *velit* corr. ex *volet*, 234 *tyramnus*, 242 *martis*, 250 *prescriptio*, 254 *vergonia*, 266 *presentia* ut VII. 95, 273 *trans adigas*, 298 *pretextatum-pro ludere*, 319 *hedere*, 326 *aetherii* corr. ex *aetherei*.

VI. 13 *precingat*, 14 *pro ludere*, 25 *precordia*, 60 *herens*.

VII. 23 *secla*, 33 *hymeneos*, 136 *preconia*.

VIII. 13 *blandi fluo*, 16 *presenti*, 27 *exsultant*, ut VIII. 413, 32 *cespes*, 38 *circum stent*, 44 *aq; utinam infoelix nrbs* (*Troia* in mg.), 51 *stermtur in victus*, 56 *coercet* ex *coercit*, 66 *urigia* pr. m. 67 *querere*, ut VIII. 216, 80 *per solvens*, 83 *addextram* (*x* corr. ex *tr.*), 100 *caetera*, ut VIII. 487, 125 *lacenae*, 128 *jam* ex *iam*, 130 *amimos ut puer*, 148 *idens*, 154 *querit* ut VIII. 218, 168 *post ponens*, 182 *velamysticus exstat*, 186 *per solvat*, 192 *prosternet* ex *prosternetet*, 213 *tiara*, 214 *coeleste*, 219 *aegeum*, 231 *trouigenum*, 235 *te cum*, 237 *precipitem*, 238 *prestem*, 231 *prelato*, 246 *iam tenedon iam classis*, 247 *vorasque*, 259 *solutato* ex *soluto*, ut videtur, 272 *nisi* (*isi* in ras.), 297 *placuit ne Phrygis per iuria*, 324 *Patroclo* ex *Patrolo*, 340 *quesivit*, 343 *regosque* ex *regesque*, 347 *cicerit*, 348 *presule*, 360 *facit*, 405 *palagus*, 409 *pre rupta*, 432 *aegeo*, 447 *presente*, 449 *per volat*, 453 *cycnii*, 454 *placidas*, 463 *prefulgens*, 464 *volucies*, 466 *per acta*, 476 *proddit*, 494 *mtrata*, 534 *sic* pr. m., 536 *confer et*, 556 *et* deest, 561 *coelestia*, 577 *hu canae*, 603 *quam vis*, 608 *helem*, 628 *presagia* (*agia* in ras.), 640 *intraturi* ex *intraruri*.

IX. 1 *sidecus*, 5 *hostes* ex *hostem* et post *hoste*, 11 *quod vis*, 21 *expectnt*, 23 *ornamenta* ex *ornamenti*, ut videtur, 24 *ad iecti*, 48 *foemina*, 53 *infoelix*, 60 *foemineo*, 64 *mums*, 86 *sic cantibus*, 93 *iliace*, 94 *poena* ex *poenam*, 108 *homistae* (*h* erasum), 124 *te ne*, 130 *queram*, 134 *iudicium*, 135 *in vidia*, 142 *dux* (*x* in ras.), 153 *in foelix*, 163 *astianacta* ut IX. 174, 165 *hictoreis* ex *hectoreis*, 179 *querunt*, 196 *pelens*, 209 *presentet*, 227 *prestetur*, 231 *prestent*.

X. 10 *scyticae*, 17 *docto*, 27 *rogatam*, 48 *capuintque*, 87 *hymeneus*, ut X. 162, 105 *C m ni ma*, 107 *fuctura*, 118 *per sulcans*, 131 *preduce*, 132 *vices* ex *duces*, 161 *aves* pr. m. 165 *iunctae*, 168 *ni*,

189 *mundi* ex *mondi,* 190 *coelo,* 208 *utniam,* 212 *aurata,* 249 *celibe,* 259 *distnixerat,* 267 *saceo sacerdos* (*saceo* postea expunctum), 270 *ni gratia,* 298 *secula,* 359 *fata,* 368 *predo,* 377 *prestet-secla,* 380 *agt precepta,* 407 *heres* ut 450, 411 *niops,* 445 *necavi* ex *nacavi,* 457 *nocetis* ex *nocebis,* 473 *precedens,* 481 *megera,* 488 ante *puppis* legitur *cypris,* sed expunctum, 490 *ceruleis,* 500 *sphera,* 501 *ethram,* 503 *mittis,* 511 *pingens,* 531 *mermrius,* 546 *meneat,* 550 *Lyei,* 571 ante *furiae* legitur *fur,* sed expunctam, 577 *pregnatur,* 586 *terentus,* 589 *preclara,* 601 *laudo.*

Alterum carminis decimi exemplar de Duhn et Baehrens passim contulerunt: quam ob rem locos, ubi apographum posterius a priore discedit, adnotabo omnes: 17 *docta,* 26 *modo,* 31 *quae,* 33 *diu,* 40 *mutius,* 48 *capiuntque,* 61 *micte,* 75 et 347 *quodcunque,* 98 *inane,* 100 *excussis,* 103 *pectinat,* 105 *Cinnama* deest, 107 *factura,* 133 *quaecunque,* 137 *coelum,* 147 *sustinet* ex *substinet*, 152 *excipiam,* 162 *adheret,* 165 *iunctae,* 168 *ni,* pro v. 185, qui in margine adscriptus est, v. 187 invenitur, postea expunctus, 188 *inquit,* 190 *tenes* ex *tenens,* 192 *acta,* 195 *mistica,* 207 *me* deest, *ergo,* 208 *utinam, iaceo* ex *iaceor,* 213 *coniux,* 222 *precordia,* 226 *exsta,* 227 *consultum,* 228 *tepescit iners,* 237 *dextre-inerti,* 259 *distinxerat,* 260 *radiabat,* 267 *saceo* deest, 270 *in gratia,* 280 *murmure,* 291 *coniungatur,* 316 *nescisset,* 319 *rapiebat,* 336 in mg. *electro,* 370 *timebat,* 380 *electus,* 384 *ipse,* 395 *tonsis,* 401 *peragras* ex *peragas,* 411 *inops,* 425 *dabo-erint,* 440 *funduntur* ex *fundundtur,* 450 *Iochastae* (*h* supra add.), 453 *est me non,* 464 *audimur* ex *adimur,* 465 *inane,* 469 *maga* ex *magna,* 472 *in,* 479 *convectum,* 495 *q.* ante *amplexus* praefixum deest, 511 *splendebat,* 531 *mermerus,* 538 *anus sol perste ministra,* 546 *meurat,* 560 *solidarat* ex *solidabat,* 563 versui corruptelae nota praeposita est, 571 *furiae* ex *furirae,* 576 *ferri,* 583 *thalamus,* 586 *Poliniceps,* 593 *reta.* Denique monendum est prioris exemplaris correctiones posterius exemplar ubique recepisse.

Haec habui quae de Dracontii codice neapolitano dicerem. Neque operam mihi perdidisse videtur, cum alterum exemplar nondum patuerit eoque solo Dracontii carmina minora sint recensenda.

II.

Emendationes Dracontianae

Carm. min. II. 36sqq.

sive, parens, optas homines his ignibus ustos
inlicitos violare toros, ut non pia patris
oscula nata petat nec natus matris amator
dulce nefas cupiat frater vitietque sororem
privignoque suo potiatur blanda noverca.

nec-cupiat, quod codex praebet, bona sententia caret. Baehrens coniecit: *nec-stupeat*, Duhnius: *vel-cupiat*. Duhnii emendatio haud displicet, sed fortasse praestat legere: *nec-fugiat*. Reliqua bene se habent; perperam enim Rohdius pro *potiatur* scripsit *moriatur*.

II. 53 sqq.

nympharum, puer alme, chorus, dum pensa revolvit
Penei sub fonte sui — pudet ore referre —
Solis amata canit Clymene mea carmina Nymphis
meque suo prensam Nymphas monet indice Sole,
Vulcanique sonant captivo Marte catenas,
quas audire libet de nostra clade canentem.

Sic codex: Buecheler et Duhnius pro *quas* scripserunt *quis*, finita post v. 57 sententia; Baehrens transposuit v. 58 ante v. 57 et correxit *nympham* v. 56. *Quas* v. 58 ad *nymphas* referendum est, qua re nec *quas* nec *nymphas* mutaverim. Baehrensio autem assentior v. 58 ante v. 57 collocandum esse. Praeterea pro *sonant* scribi oportet *sonat:* cfr. *monet* v. 56. Utriusque verbi subiectum est Clymene.

II. 135-36.

nos rosa, nos violae, nos lilia pulchra coronant,
nos Hyacinthus amat, noster Narcissus ab undis.

ab undis cod. Baehrens scripsit *alumnus,* quo nihil ineptius. Interdum enim *a* praepositionem Dracontius posuit ad domicilium alicuius personae vel rei significandum, cfr. II. 104, VIII. 117 *pastor ab Ida*, IX. 209 *mater ab undis* etc.

IV. 11-12.

nam quodcumque malum superans se vincit in auras,
Hereulis hostis erit.

Ita MS: *se* corruptelae signo notatum. Duhnius emendavit: *superas emergit*, Baehrens: *superas se mittit.* Sic scribendum puto: *superas erumpit.*

IV. 50-54.

consilium mihi virgo dedit: quia mucro laborat
incassum, gelida flammis exure venena
et prestem cum morte rogos, caput omne perurat
ignis edax anguesque crement post vulnera flammae.

et prestem cod., delendi signo *r* litera notata. Duhnius scripsit *et praestem*, Baehrens *et praestans.* Fortasse scribendum est *ut praestes,* posita post *rogos* distinctione maiore.

V. 101 sqq.

si iugulet miseros iniusta morte necando
suspectos quoscunque putat, nihil ergo relinquet:
omnia sunt suspecta, reos si moribus esset
ille bonus; servare pios servare modestos
debuerat sub pace sua, non colla nefandus
aut inimicorum mallet fudisse cruorem,
quorum verba pavens dives vixisset honeste.

Sic scribit et interpungit Duhnius, Buechelerum secutus, sed codex v. 103 habet *reos ni mortibus* et v. 104 *bonos:* adde quod nullus versus in toto Dracontio invenitur, qui caesuram post tertium trochaeum admittat, sine caesura trithemimeri et hephthemimeri. Quam ob rem rectius sic scribas et interpungas:

omnia sunt suspecta reo, ni mortibus offert
ille bonos: servare pios etc.

VI. 41 sqq.

quisquis adest sapiens scholasticus atque peritus
accurrit laudare volens cantare paratus:
quanto ego festine laudes et carmina ferre
pro meritis animisque virum?

quanto ego festine cod. Duhnius ex Buecheleri coniectura recepit: *quin ego festinem,* Baehrens: *quas ego festinem.* Leviore mutatione scripserim: *quantum ego festinem.*

VIII. 11 sqq.

ergo nefas Paridis quod raptor gessit adulter
ut monitus narrare queam, tu, grandis Homere,
mollia blandifluo delimas verba palato.

delimas cod. Duhnius scripsit *defundas,* Baehrens *delibans,* Iannelli *delibes.* Pro scriptura codicis aperte corrupta *defingas* conicere possis.

VIII. 92 sqq.

tu fortior Hector
culmen et urbis apex et viribus indolis almae
Troile, frater ego, fratrem cognoscite vestrum.

et viribus indolis almae, quod in codice est, aperte corruptum videtur. Varia viri docti coniecerunt: Ribbeck: *tu viribus indolis almae,* Schmidt: *et tu puer indolis almae,* Duhnius: *et tu lux indolis almae,* Baehrens: *et viribus indolis alme.* Temptare possis: *tu virtus indolis almae.*

VIII. 171-172.

augere dolores
ut resecet medicina solet.

resecet aperte corruptum. Buecheler *relevet* coniecit: non male, sed fortasse praestat: *recreet.*

VIII. 551 sqq.

tunc Spartana refert: « iuvenis, quid nostra retardas
pectora colloquiis? Phrygibus tamen arma capessant
rex dilecte iube, gressus celerare ministros
imperio compelle tuo, properamus ad aequor
et vacate iussis concurrens turba ministris ».

v. 555 gravi corruptela laborat. Buecheler proposuit: *et vacat aversis,* Duhnius: *et vacet aversis,* Baehrens: *dum vacat emissis,* Ribbeck: *dum vacat ecfussis.* Scribendum puto: *et vacet enisis.* Dein utrum *tuo* ex codicis scriptura an *tuos*, ut Ribbeck et Baehrens voluerunt, sit recipiendum incertum est.

VIII. 571 sqq.

venit ipse volans per rura maritus
sudanti pervectus equo, quem nuntius horrens
fregerat ad Cyprum venientem sacra dicare.

pervectus corruptum est. Buecheler proposuit *provectus:* sed praestat *praevectus.* Cfr. Claud. 35, 122 *roranti praevectus equo.*

IX. 76-77.

Pergama Pelidi fateor post Hectora nactum
non bellum sed praeda patent spectante triumpho.

Duobus vitiis hic locus laborat. Pro *nactum* Buecheler *tractum,* Baehrens *raptum,* Rossberg *nectum.* Pro *spectante* Baehrens *superante,* Rossberg *spectanda.* Scribe *mactum* (i. e. mactatum) et *spectato.*

IX. 78 sqq.

Hectoreum si forte canes laniare cadaver
ipse paras crimenque putas, hoc Medus honestum
credit etc.

paras-putas cod. Baehrens coniecit *paras-probas* vel *probas-negas* Melius est scribere *paras-patras.*

X 1 sqq.

fert animus vulgare nefas et virginis atrae
captivos monstrare deos, elementa clientes,
naturam servire reae servire puellae,
astra poli et Phoebi cursus et sidera caeli
arbitrio mulieris agi, pendere Tonantem
quod iubeat Medea nefas etc.

Primum quidem illud *servire* v. 3 repetitum valde displicet, sed bene Baehrens correxit *servire reae sub iure puellae.* Deinde *pendere* corruptum est. Baehrens scripsit *perhibere,* Rossberg *penitere,* Schenkl *patrare*, Buecheler *perferre.* Minus a scriptura codicis *spondere* recedit bonamque praebet sententiam.

X. 27-28.

te modo, Calliope, poscunt optantque sorores
dulcior ut venias, nocte decet ire rogatam.

nocte decet cod., *nunc te decet* Buecheler, *non dedecet* Rossberg, *sic te decet* Baehrens. Conieci: *nec dedecet:* cfr. VI. 24 *sponte venire decet, non te decet ire rogatam;* nostro autem loco asyndeton non requiritur.

X 62-63.

igne tuo flammata cadat furibunda virago,
discat amare furor, tandem sit blanda sacerdos,

furor est in cod., sed Baehrens coniecit *ferox:* lectio tamen codicis nulli suspicioni est obnoxia. Saepius enim Dracontius abstractum

pro concreto usurpavit: cfr. VIII. 578 *feritas* pro *fera*, V. 311 *rabies fulva* pro *leo* etc. Hoc loco *furor* idem valet ac *Medea furens*.

X. 94 sqq.

> Huc ades, o lascive puer, te mater ubique
> quaerit et e cunctis vestrum me misit alumnum
> ut venias parcente mora.

parcente Baehrens temere immutavit, *absente* suo ingenio corrigens: sed hoc loco *parcente mora* recte explicatur: *sine mora*. Cfr. II. 155 *telo parcente* = *sine telo*, etc.

X. 449 sqq.

> Thebis iterum iam vota geruntur,
> currite, per thalamos Iocastae frater et heres
> coniungit natam. gens haec est vestra. dicabit
> mortibus impietas, affectus funera praestant.

gens haec est vestra correxit Buecheler, sed codex habet: *genus est vestra*. Baehrens scripsit *gens en vestra*. Sic corrigendum censeo: *nam gens est vestra: nam* a voce praec. absumptum est. Reliqua bene se habent: non video enim cur Baehrens *effectus* et Buecheler *praestent* receperit.

Carm. de Deo I. 3 sqq.

> agnoscent quod templa poli, quod moenia coeli
> auctorem confessa suum veneranter adorent,
> quinque plagae, septemque poli, sol lunaque et astra,
> sidera, signa, noti, nix, imber, grando, pruinae etc.

Sic Arevalus, sed v. 5 cod. habet: *lumen et omnis*. Arevalus alias quoque coniecturas ex suo scrinio deprompsit, velut: *lunaque et omnis*, *lunaque et aether*, *lunaque et ignis*, *lunaque et orbis*, *lunaque et omnia*, sed probabilius conicere possis: *lumen et omne*.

I. 117 sqq.

lux datur ante polos, lux clari causa diei,
lux iubar aethereum, lux noctis limes, et umbrae,
lux facies rebus cunctis et lux elementis,
lux genitis factisque color, lux gratia solis etc.

v. 121 sic in Vaticano corruptus est: *lux facies rerum lux lux cunctisque trementes*. Arevali lectio, quam expressimus, violentior est quam quae recipi possit. Scribe: *lux facies rerum, lux dux cunctis elementis*.

I. 549 sqq.

otia, delicias perdunt discuntque labores,
qui cultore Deo fructum telluris habebant,
agricola dominus quam nondum verterat umquam.

Ita Sirm., quem Arevalus sequitur, sed in optimo codice Vaticano v. 551 sic se habet: *agricolam dominum q̄. non diviserat umquam*, unde rescribendum puto: *agricolam domini quae nondum viserat umquam*.

II. 296 sqq.

nec modo tentatur noviter; primordia mundi
nec telum doluere nefas, hominemque secundum
conspexere pii perfusum sanguine fratris.

nec telum aperte depravatum. Arevalus coniecit *horrendum*. An scribendum *scelestum?*

II. 689 sqq.

nescius irarum, monitis, non clade coerces
peccatum, sine clade reos clementior audis
ante preces, veniaque iuvas: non ira furorem
excitat etc.

veniaque iuvas Arevalus: sed codicis scriptura *veniale iubens* est revocanda. Dracontius enim valde in deliciis habuit adiectiva in *alis*

exeuntia. Cfr. Barwinski Quaest. I. p. 63 sqq. Cfr. etiam Satisf. 121 *veniale minaris*, carm. de Deo II. 486 *veniale minatur*, carm. min. VIII. 361 *veniale minatus*.

III. 39.

> extinctam dolet esse famem, bene dives egenus,
> semper avarus inops, pauper sub divite nummo
> aestuat, et custos alieni ruris et auri,
> iudicio punita suo mens semper avara
> dat poenas etc.

Codex habet *thuris adoret*, unde Arevalus violentius quam verius coniecit: *ruris et auri*. Propius ad scripturam codicis accedit *ruris adhaeret*, finita post v. 41 sententia. Sensus autem clarus est.

III. 86-87.

> ergo Deum si corda colant et mens veneretur
> nil opus est praeferre Deo:

si corda colant Arevalus, qui coniecit etiam *sic corda colant*, sed codex habet *si vera colunt*. Scribendum igitur *si verba colant*, nisi malis *si verba colunt ct mens veneratur*.

III.

De Dracontii arte metrica

Cum ad Dracontii carmina recensenda et explicanda praecipue viri docti se contulissent, ut de rationibus metricis et prosodiacis accuratius quaestio institueretur iam dudum desiderabatur. Laborem igitur longum et ingratum suscepi haud invitus eaque quae investigavi in medium proferre mihi propositum est. Quaestionem autem ita instituam ut primo in res metricas tum in res prosodiacas inquiratur. In illa rursus distinguam quinque partes, quarum agitur

I. de pedibus dactylicis et spondiacis,

II. de caesuris,

III. de elisionibus,

IV. de clausulis hexametrorum,

V. de substanctivorum et adiectivorum collocatione;

in altera tres quarum agitur

I. de syllabis finalibus propter caesuras productis,

II. de quantitate syllabarum finalium,

III. de syllabarum quantitate ad arbitrium immutata.

Cum autem Dracontii verba varie viri docti vexarint hoc loco afferendum puto me in carminibus minoribus Duhnianam, in poemate de Deo Arevalianam, in Oreste meam editionem (Sandron 1906) secutum esse. Saepe tamen a Duhnio et ab Arevalo discessi, sed, quod ad diversam rationem metricam et prosodiacam attinet, hi loci tantum adnotandi sunt: carm. min. II. 8 *caelique o* (Baehrens), 42 *Cereris* (Rossberg), 65 *comis* (Wagler), III. 13 *limo se obducit* (Ribbeck), IV. 28 *desse* (Baehr.), V. 93 *sorte* (Baehr.), 308 *super arva metentes* (Baehr.), VI. 43 *quantum* (ego), 63 *enim fra-*

tres et (Baehr.), VII. 36 *copuletur* (cod.), VIII. 14 *Maeonio* (Baehr.), 44 *atque utinam infoelix urbs* (Iannelli), 85 *stipata subibat* (Baehr.), 93 *tu virtus-alme* (ego), 133 *me fortuna potens expectat Pyrrhus et ingens* (Iannelli), 202 post *tamen* interpungendum (Baehr.), IX. 33 *marcentis* (Rossberg), 101 *ingerit* (ego), 110 *ingentes* (Baehr.), 113 post 114 colloc. (Baehr.), X. 173 *set* (Baehr.), 188 *trinam* (Baehr.), 269 *Veneri* Baehr.), 281 *nocuus* (ego), 431 *non ire polus* (Baehr.); carm. de Deo I. 5 *lumen et omne* (ego), 18 *tristia saeva* (Arevalus in notis), 21 *atque ubi dicuntur* (Arevalus in notis), 82 *forent* (Arevalus in notis), 100 *praefertque* (Arevalus in notis), 119 *lux facies rerum, lux dux cunctis elementis* (ego), 551 *agricolam domini quae nondum viserat umquam* (ego), 566 *dest* (ego), II. 34 *nam quasi fusus aer* (cod.), 40 *labuntur* (cod.), 60 *haec tollatur* (cod.), 91 *capax anhelantis et ignis* (cod.), 167 *deletur* (cod.), 249 *lumine dignior omni* (cod.), 478 *si terga* (cod.), 483 *siccante* (cod.), III. 30 *atque placent vota credentis avari* (ego), 41 *ruris adhaeret* (ego), 319 *iure maritali* (Arev. in n.), 450 *conspirans* (cod.), 504 *veniens aut terror* (cod.): denique hos versus praetermisi: carm. de Deo I. 36-38, 41-49, II. 66, 121, 161, 367, 382, 391, 448, III. 88, 107, 118, 119, 195, 409, 442, 453, 454, quod plane insanabiles mihi visi sunt.

PARS PRIOR

De rebus metricis.

A

DE PEDIBUS DACTYLICIS ET SPONDIACIS.

Hoc quidem videndum est quot sint quove loco pedes sive dactylici sive spondiaci: de qua re multa verba facere supersedeo cum multo melius hanc rem ex tabulis his apparere censeam.

Carm. minor.	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	Summae	In singulis centum
dddd	5	—	1	10	6	10	21	9	17	79	3.39
ddds	8	—	4	26	12	22	49	15	50	186	7.97
ddss	20	2	7	41	17	26	75	39	94	321	13.76
dsss	12	3	5	34	17	15	73	10	48	217	9.30
dsds	28	4	3	55	15	11	86	51	112	365	15.64
dssd	4	—	2	19	6	11	32	7	29	110	4.72
dsdd	1	—	1	15	3	6	35	9	38	108	4.63
ddsd	7	1	6	18	12	20	34	11	31	140	6.00
ssss	7	—	2	5	1	1	12	1	7	36	1.54
sssd	1	1	1	6	—	1	7	—	4	21	0.90
ssdd	10	—	4	8	7	9	20	2	19	79	3.39
sddd	3	—	—	7	2	5	14	1	9	41	1.76
sdsd	9	2	2	9	4	7	23	7	8	71	3.04
sdds	7	2	3	17	2	2	36	14	28	111	4.76
sdss	22	2	5	20	7	6	46	20	25	153	6.56
ssds	19	3	7	39	11	7	92	35	82	295	12.64
Summae	163	20	53	329	122	159	655	231	601	2333	100.00

De deo	I	II	III	Summae	In singulis centum	Orestes	In singulis centum	Omnia carmina	In singulis centum
dddd	26	27	24	77	3.48	56	5.75	212	3.84
ddds	59	63	55	177	7.99	115	11.81	480	8.69
ddss	112	118	99	329	14.84	164	16.84	812	14.70
dsss	82	64	89	235	10.60	112	11.50	564	10.21
dsds	105	109	85	299	13.50	133	13.66	797	14.43
dssd	42	39	42	123	5.55	58	5.96	291	5.27
dsdd	36	51	28	115	5.19	50	5.13	273	4.94
ddsd	51	66	42	159	7.18	87	8.93	386	6.99
ssss	19	15	13	47	2.12	9	0.92	92	1.67
sssd	15	7	4	26	1.17	3	0.31	50	0.91
ssdd	28	19	17	64	2.89	19	1.95	162	2.93
sddd	11	13	12	36	1.62	19	1.95	96	1.74
sdsd	22	34	28	84	3.79	19	1.95	174	3.15
sdds	30	46	30	106	4.78	49	5.03	266	4.82
sdss	49	78	61	188	8.48	31	3.18	372	6.73
ssds	55	52	44	151	6.82	50	5.13	496	8.98
Summae	742	801	673	2216	100.00	974	100.00	5523	100.00

Sed si summas spondeorum et dactylorum, qui in primis quattuor pedibus sunt adhibiti, computamus, nulla fere exstat discrepantia. Habes enim in toto Dracontio dactylos 11038=49.96 % et spondeos 11054=50.04. Cum autem ex lege Hultgreniana poeta, quo quisque elegantior fuerit, eo magis vitarit usum spondei in primo pede, iam videamus quomodo in singulis Dracontii carminibus res se habeat. Spondeum quidem in primo pede habent in carm. minor.

vv. 807=34,59 $^0/_0$ (II. 78=47,85 $^0/_0$, III. 10=50 $^0/_0$, IV. 24=45,28 $^0/_0$, V. 111=33,74 $^0/_0$, VI. 34=27,87 $^0/_0$, VII. 38=23,90 $^0/_0$, VIII. 250=38,17 $^0/_0$, IX. 80=34,63 $^0/_0$, X. 182=30,28 $^0/_0$), in carm. de Deo vv. 704=31,77 $^0/_0$ (I. 230=30,98, II. 265 = 33,08, III. 209=31,05), in Oreste vv. 199=20,43 $^0/_0$, in toto Dracontio vv. 1710=30,96 $^0/_0$. Maxime autem offendendum est in iis versibus qui in primo pede vocabulum spondiacum exhibent: eiusmodi versus in carm. min. sunt 69 (II. 15, IV. 3, V. 9, VI. 4, VII. 4, VIII. 17, IX. 4, X. 12)=2,96 $^0/_0$, in carm. de Deo 68 (I. 24, II. 27, III. 18)=3,07 $^0/_0$, in Oreste 16=1,64 $^0/_0$. in toto Dracontio 153=2,77 $^0/_0$. Praeterea formae *ddss* et *dsds*, quae omnium sunt pulcherrimae et elegantissimae, apud Dracontium summum locum obtibent: contra mira est frequentia formae *ssds*, praesertim in carminibus minoribus.

B.

De caesuris.

Nunc autem paucis exponamus quales et quot sint in Dracontii hexametris caesurae, qua ex re apparebit quibus legibus in statuendis caesuris Dracontius se adstrinxerit.

Constat omnium caesurarum elegantissimam et usitatissimam apud omnes poetas latinos esse penthemimerim, cuius exemplum praebet hic versus:

flumina tunc resonant, montes et lustra resultant.

Penthemimerim quidem habent in carm. minor. vv. 1384 (II. 103, III. 12, IV. 25, V. 210, VI. 79, VII. 117, VIII. 403, IX. 131, X. 304)=59,32 $^0/_0$, in carm. de Deo vv. 1490 (I. 500, II. 508, III. 482) = 67,24 $^0/_0$, in Oreste vv. 689=70,74 $^0/_0$, in toto Dracontio vv. 3563=64,51 $^0/_0$.

Sequitur penthemimeris cum trithemimeri coniuncta. Forma est haec:

da veniam, iuvenis: magnum est punisse triumphos,

quam exhibent in carm. min. vv. 40 (II. 5, IV. 8, V. 4, VII. 2, VIII. 6, IX. 4, X 11)=1,70 %, in carm. de Deo vv. 17 (I. 1, II. 13, III. 3)=0,77 %, in Oreste vv. 7=0,72 %, in toto Dracontio vv. 64=1,16 %.

Deinde habes hephthemimerim: sed legibus elegantiae expetitur ut simul adsit trithemimeris una cum penthemimeri aut cum fine verbi post tertium trochaeum. Prioris formae exemplum praebet hic versus:

poscere quem veniam decuit, male suscitat iras

et posterioris hice:

me maneat virtutis honos, me praeda sequatur.

Priorem formam habent in carm. min. vv. 42 (II. 2, IV. 2, V. 8, VI. 2, VII. 4, VIII. 5, IX. 5, X. 14)=1,80 %, in carm. de Deo vv. 32 (I. 11, II. 15, III. 6) = 1,44 %, in Oreste vv. 6 = 0,62 %, in toto Dracontio vv. 80=1,45 %: posteriorem autem in carm. min. vv. 800 (II. 53, III. 8, IV. 16, V. 106, VI. 35, VII. 30, VIII. 219, IX. 85, X. 248)=34,29 %, in carm. de Deo vv. 526 (I. 175, II. 198, III. 146) = 23,74 %, in Oreste vv. 210 = 21,56 %, in toto Drac. vv. 1536=27,81 %.

Hae quattuor formae pulcherrimae et elegantissimae sunt: veniamus autem ad caesuras non legitimas. Ac primum quidem hoc loco afferenda est hephthemimeris cum sola penthemimeri coniuncta ut desit trithemimeris: neque enim L. Muellero assentior salva elegantia trithemimerim in hac forma neglegi posse: ceterum Muelleri sententia iam a Klappio (Bemerkungen ueber die Hephth. des latein. Hexam. Posen 1868) reiecta est. Hoc est exemplum:

sic dolor exsurgit divum, sic ira polorum,

quod praebent in carm. min. vv. 70 (IV. 2, V. 10, VI. 6, VII.

5, VIII. 20, IX. 5, X. 22)=3,00 %, in carm. de Deo vv. 143 (I. 51, II. 59, III. 33)=6,45 %, in Oreste vv. 62 = 6,36 %, in toto Drac. vv. 275=4,98 %.

Deinde occurrit hephthemimeris cum sola trithemimeri coniuncta ut desit tertia trochaica, velut:

exercent. Tamen intererit quod clausa tenebris

aut cum fine verbi post tertium trochaeum ut desit trithemimeris velut:

rumpit vincla iubetque viro suspendat ab aris

Priorem formam in carm. min. hi quinque versus praebent: V. 69, VII. 125, VIII. 484, IX. 88, X. 394, in carm. de Deo hi duo: II. 196,700, in Oreste nullus versus. Posteriorem autem ille unus versus (carm. min. X. 256) exhibet, sed fortasse corruptus est. [1])

Sequitur hephthemimeris sola. Forma est haec:

consona dissimili infundens sermone beatis,

quam in toto Drac. duo tantum versus praebent: De deo II. 150,546. Denique extat caesura bucolica cum trithemimeri coniuncta velut:

plectibili: et veniam ignorantia iure meretur

aut cum penthemimeri, velut:

nube tenebrarum discussa, luce recepta.

---

[1]) Sic enim Buecheler correxit, sed codex habet: *rumpit vincla iuvenique virgo suspendit ab aris*, unde Baehrens violentius temptavit: *rumpit vincla viri quae tunc suspendit ab aris.*

Priorem formam ille unus versus (De deo II. 269), qui fortasse depravatus est, posteriorem tres versus tantum (De deo I. 644, II. 121, III. 32) in toto Dracontio praebent:

C

De elisionibus.

Hoc capite de numero, de genere, de sede elisionum agendum est. De numero elisionum, quae Dracontii carminibus insunt, pauca sunt dicenda. Rarissime Dracontius elisiones admisit. Constat enim quo recentiora sint carmina eo rariores reperiri in illis elisiones, quas, ut L. Muelleri verbis utar, poetae inferioris aetatis acri persecuti sunt odio. Itaque in toto Dracontio 276 elisiones [1]) inveni id est 5,00 $^0/_0$ (carm. min. 88 = 3,80 $^0/_0$, carm. de Deo 128 = 5,78 $^0/_0$, Orest. 60=6,16 $^0/_0$).

Restat ut afferam quales sint elisiones et quibus versuum locis versentur.

Vocalem brevem sequente brevi Drac. elisit his locis: in thesi primi pedis carm. min. V. 156, VIII. 44, 602, IX. 47, 114, 125, 194, 201, 205, X. 109, 199, 208, 583, 585, carm. de Deo I. 21, 163, 235, 247, 291, 380, 388, 613, 696, II. 797, III. 275, 464, 575, 599, 612, Orest. 121, 199, 251, 283, 344, 578, 619, 672, 771, 883; in thesi secundi pedis carm. min. V. 9, 153, 280, X. 541, carm. de Deo I. 393, 530, Orest. 821; in thesi tertii pedis carm. min. V. 69, VII. 125, VIII. 484, X. 394, carm. de Deo II. 196, 700, in thesi quarti pedis carm. de Deo I. 40, III. 171, in thesi quinti pedis carm. min. II. 49, VI. 51, 88, VII. 33, 45, X. 105, carm. de Deo I. 26,566, II. 396,465,648, III. 20,583, Orest. 305; sequente autem longa his locis: in thesi primi pedis carm. min. VIII. 50,130, X. 492, carm. de Deo I. 740, Orest. 538,974, in arsi secundi pedis carm. min. VII. 108, carm. de Deo I. 215, II. 428,601, Orest. 135, in thesi secundi pedis carm. min.

[1]) Praetemisi, ut par est, verbi *es* et *est* elisiones.

VIII. 109, 373, carm. de Deo I. 49,186, in arsi tertii pedis carm. de Deo III. 199, 441, 634, Orest. 359,376, in thesi tertii pedis carm. de Deo III. 419, in arsi quarti pedis carm. de Deo II. 129,715, Orest. 859, in thesi quarti pedis carm. minor. II. 8,115, V. 85, VI. 118, VII. 23,157, VIII. 454, X. 572, carm. de Deo I. 129, 130, 231, 247, 289, 311, 424, 603, II. 145, 205, 317, 351, 361, 370, 460, 561, 569, 612, III. 38, 53, 60, 65, 314, 359, 428, 459, 673, Orest. 35, 289, 315, 485, 561, 872, in arsi quinti pedis carm. min. II. 41, V. 26, VIII. 27, 145, 413, X. 163, carm. de Deo II. 60, 248, 326, 394, 808, III. 183, 295, Orest. 21, 507, 641, 776, in arsi sexti pedis carm. de Deo II. 475.

Contra vocalem longam sequente longa his locis elisit: in arsi primi pedis carm. min. VIII. 462, X. 546, carm. de Deo I. 750, Orest. 38,926, in thesi primi pedis carm. de Deo I. 375, III. 225, in arsi secundi pedis carm. min. V. 110, VIII. 586, X. 4, 207, 284, carm. de Deo II. 205, 269, III. 594, in thesi secundi pedis carm. min. III. 13, V. 30, carm. de Deo I. 533, in arsi tertii pedis carm. de Deo II. 150, Orest. 577, in thesi tertii pedis carm. min. IV. 18, IX. 74, carm. de Deo III. 645, Orest. 389, 572, 620, in arsi quarti pedis carm. min. VII. 134, VIII. 30, carm. de Deo II. 256, in thesi quarti pedis carm. min. VII. 26, IX. 110, 179, X. 453, carm. de Deo I. 488, 649, II. 692, III. 185, Orest. 538, 746, 790, 870, in arsi quinti pedis carm. min. V. 245, carm. de Deo II. 482; sequente autem brevi his locis: in thesi primi pedis carm. de Deo II. 799, III. 75, 80, Orest. 373, in thesi quarti pedis carm. de Deo I. 265, in thesi quinti pedis carm. de Deo III. 253.

Deinde vocabula in *m* exeuntia sequente brevi his locis elisit: in thesi primi pedis carm. min. VI. 43, X. 366, Orest. 487, 639, 958, in thesi secundi pedis Orest. 275, 899, in thesi quarti pedis carm. de Deo II. 252; sequente autem longa his locis: in arsi primi pedis carm. de Deo II. 59 in thesi primi pedis carm. min. VI. 36, Orest. 695, in arsi secundi pedis carm. min. II. 70, VIII. 44, 86, 192, IX. 73, X. 109, carm. de Deo I. 546, 746, II. 289, 404, 659, III. 208, 380, Orest. 120, 361, 482, 680, in thesi secundi pedis carm. de Deo II. 711, in arsi tertii pedis carm. min.

VII. 9, carm. de Deo II. 108, 269, 598, in arsi quarti pedis carm. min. III. 11, VII. 15, X. 456, carm. de Deo II. 328, 436, 663, III. 328, Orest. 7, 829, 899, in thesi quarti pedis carm. min. V. 86, VIII. 226, 374, 604, X. 495, carm. de Deo I. 229, 421, 461, 747, II. 279, III. 124, 189, 329, 413, 515, Orest. 241, 257, 288, 573, 818, in arsi quinti pedis carm. min. X. 204.

Denique vocabula in syllabam ancipitem exeuntia ante vocalem brevem elisa sunt: in thesi primi pedis carm. min. V. 244, VIII. 563, carm. de Deo I. 463, 570, II. 98, III. 566, Orest. 626, 813 et ante vocalem longam in arsi secundi pedis carm. min. X. 425, Orest. 769 et in thesi quarti pedis carm. de Deo II. 807.

Sed multum abest ut omnes elisiones eadem sint duritia. Nam minima cum offensione eliduntur voces in brevem vocalem exeuntes; contra maxime offendendum est in elisione vocabulorum in vocalem longam aut in litteram *m* desinentium, praesertim in thesibus secunda et tertia: quod quater in carm. min., ter in carm. de Deo, quinquies in Oreste deprehendi. Nec minorem praebent offensionem elisiones eorum vocabulorum, quorum penultima e vocali constat ut haec: *tenui igne*: eiusmodi elisiones his locis inveniuntur: carm. min. VIII. 586, carm. de Deo I. 26, 215, 546, II. 108, 269, 428, 482, III. 441, 504, Orest. 120, 859. Durissimae autem elisiones sunt syllabarum in *m* exeuntium sequente brevi in thesi quarta, quarum in toto Dracontio unum exemplum (carm. de Deo II. 252) inveni. Praeterea porro offensioni sunt vocabula in longam vocalem exeuntia sequente brevi elisa: quod quinquies in carm. de Deo, semel in Oreste occurrit. Neque omnino duritia carent elisiones post secundam brevem pedis quinti, quas his locis deprehendi: carm. min. II. 49, VI. 51, 88, X. 105, carm. de Deo I. 26, 566, III. 20. Sed magis offendendum est in elisione monosyllaborum in *m* exeuntium, cuius generis haec sunt exempla: *quem* (carm. de Deo II. 59), *nam* (carm. de Deo II. 711, Orest. 361), *dum* (Orest. 639). Denique synaloepha omnium durissima in carm. de Deo III. 80 extat, ubi diphthongus *ae* sequente brevi elisa est.

Denique mihi explorandum est quot elisiones Dracontius uni eidemque versui tribuerit. Nullum versum inveni qui plus duas eli-

siones exhibeat. Duae autem insunt septem tantum his: carm. min. VIII. 44, X. 109, carm. de Deo I. 247, II. 205, 269, Orest. 538, 899.

Hoc quoque capite pauca de hiatu addam: hiatum Dracontius his tantum locis passus est: carm. min. VIII. 648, X. 327, 565, carm. de Deo II. 60, III. 200, Orest. 216, 286, 894, 947, qui omnes ad unum (excepto VIII. 648, sed fortasse scriptura depravata est: Baehr. *somnia* pro *omina* coniecit) propter caesuram excusandi sunt [1]). Denique duobus locis (*eadem* Satisf. 161 et *eodem* Satisf. 181) sinizesi usus est.

D

De clausulis hexametrorum.

Rem paucis expediam. Exeunt in bisyllabum in carm. min. vv. 880 (II. 61, III. 8, IV. 35, V. 108, VI. 35, VII. 52, VIII. 255, IX. 95, X. 231)=37,72 %, in carm. de Deo vv. 899 (I, 309, II. 330, III. 260)=40,57 %, in Oreste vv. 354 = 36,34 %, in toto Dracontio vv. 2133=38,62 %; in trisyllabum in carm. min. vv. 1442 (II. 101, III. 12, IV. 18, V. 220, VI. 84, VII. 105, VIII. 398, IX. 135, X. 369)=61, 81 %, in carm. de Deo vv. 1284 (I. 430, II. 458, III. 396)=57,94 %, [2]) in Oreste 613 = 62, 94 %, in toto Dracontio vv. 3339=60,46 %, in monosyllabum aut in polisyllabum in carm. min. vv. 11=0,47 %, in carm. de Deo vv. 33=1,49 %, in Oreste vv. 7=0,72 %, in toto Drac. vv. 51=0,92 %.

---

[1]) Perperam Fr. de Duhn in carm. min. v. X. 426 (cŭm Īāsŏnĕ) hiatum esse contendit: sic enim syllabae enarrandae sunt: cūm Iāsŏnĕ.

[2]) Ex monosyllabis sunt eximendae voces *es* et *est,* quotiescumque in fine versuum post verba occurrunt in vocalem aut in *m* exeuntia. Itaque clausulam ex. gr. *verum est* pro bisyllaba et claus. *necesse est* pro trisyllaba accepi.

In monosyllabum exeunt hi versus: carm. min. II. 150, V. 16, 109, VIII. 37,51, IX. 55, X. 231, carm. de Deo I. 429, II. 141, 178, 196, 200, 320, 344, 584, 606, 732, III. 3, 48, 87, 157, 218, 330, 520, 522, 524, 552, 580, 600, 668, Orest.: 441, 470, 708, 773. In polisyllabum: carm. min. VI. 97 *Maximianas*, 103 *Rufinianus*, VII. 33 *Hymenaeos*, 109 *Octavianus*, carm. de Deo I. 119, II. 17, 648, III. 536 *elcmentis*, I. 396 *avibusque*, 465 *aliena*, 690 *omnipotentem*, III. 86 *veneretur*, 253 *alieno*, 583 *inimicus*, Orest. 25 *Agamemnon*, 201 *populorum*, 692 *Amphiarai*.

Ex clausulis, quae monosyllabo constant, propter bisyllab. praeced. valde displicent hae: carm. de Deo II. 200, 320, 606, III. 87: ex clausulis autem, quae polisyllabo constant, tantum eas excuses, quae nomen proprium exhibent.

E

De substantivorum et adiectivorum collocatione.

Maximi est momenti inquirere quibus legibus in collocandis substantivis et adiectivis Dracontius usus sit.

Atque primum quidem ad formas simplices veniamus, quae sunt: I. AS/, ubi adiectivum et substantivum in priore hemystichio exstant:

ex. gr. infelix Priamus post Herculis arma novarat

II. /AS, ubi adiect. et subst. in posteriore hemyst. sunt:

ad dextram genitoris erat fortissimus Hector

III. A/S, ubi adiect. in priore, subst. in posteriore hemystichio est:

praecipitem frenat monitis per cuncta iuventam

IV. . . . A/ . . . . . S, ubi adiect. in fine prioris hemystichii, subst. in fine posterioris extat:

quae te palmiferis docuit concurrere telis.

Idem de alteris quattuor formis intellige:
V. SA/ tempore nec parvo Troum regnabit origo
VI. /SA sordent arva viro post iurgia tanta dearum
VII. S/A nam flammis perfusa genas pallentibus ibat
VIII. . . . S/ . . . . A ille refert matris disrumpens verba precantis
Hos autem numeros in Dracontio inveni:

Formæ	Carm. min.	Carm. de Deo	Orest.	Summæ	Formæ	Carm. min.	Carm. de Deo	Orest.	Summæ
I	147	131	48	326	V	164	130	67	361
II	239	245	132	616	VI	157	158	76	391
III	60	60	36	156	VII	20	29	14	63
IV	112	79	39	230	VIII	3	10	2	15
Summæ	558	514	255	1328	Summæ	344	327	159	830

Deinde ad formas duplices transeamus, quas in tres series divisi, cum substantivorum et adiectivorum dispositio aut externa, aut interna, aut alternata esse possit.

Prima quidem series formas exhibet has:

	Carm. m.	Carm. d. D.	Orest.	Summae
SAS′A′ et genus humanum sic stat sub lege perenni.	5	14	5	24
ASS′A′ quæ calidas rapiat fibras pulmonis anheli	6	12	5	23
SAA′S′ quod Phoebus radians toto vix explicat anno	15	14	4	33
ASA′S′ cur mihi viperei fetus mala fata minantur?	14	19	3	36
S′A′SA fluctibus immensis pelagi freta glauca liquescunt	4	12	6	22
A′S′SA et pro tot meritis in funera tanta merentur.	2	7	2	11
S′A′AS pectore saxifico cui militat impia Gorgon	18	16	9	43
A′S′AS vindicat hostiles gemitus fera dextra parentis.	5	9	5	19
	69	103	39	211

Alia vero series has formas:

	Carm. m.	Carm. d. D.	Orest.	Summae
SS′A′A dona Clytaemnestrae non dignae multa parabat	—	1	3	4
AS′A′S contortusque fluat nodo viridante corymbus.	7	6	1	14
SA′S′A solvitur in gemitus lacrimosae vocis amaros.	5	8	4	17
AA′S′S porrexere piam placido pro tegmine dextram	28	33	10	71
S′SAA′ et praedam rabies contempsit fulva iacentem	3	1	—	4
S′ASA′ intratur sponsamque tegunt sua flammea pulchram.	8	2	1	11
A′SAS′ inbue pinnatis precor oscula blanda sagittis	3	6	—	9
A′ASS′ urit amoriferis certantia membra sagittis	8	15	4	27
	62	72	23	157

Tertia denique has:		Carm. m.	Carm. d. D.	Orest.	Summa
SS'AA'	membra viri mox nuda vident fugientis ad undas.	3	—	—	3
S'SA'A	sed natos Medea duos fecunda marito.	1	—	—	1
SA'AS'	brachia virgineis adnectens stricta lacertis	13	5	5	23
S'AA'S	ignibus et gelidas calidis reparare favillas.	1	—	—	1
AS'SA'	dulcia cantatis dum votis carmina vestris.	1	2	3	6
A'SS'A	mox sua promissor perfecit verba fidelis.	1	1	—	2
A'AS'S	candida diffusi ludunt per colla capilli.	7	5	5	17
AA'SS'	illi purpureus niveo natat ignis in ore.	21	14	12	47
		48	27	25	100

Nonnulla de his formis dicenda sunt. Formae quae dispositionem parallelam exhibent (i. e. in I ser. formae SASA, ASAS, in II. SSAA, AASS, in III. SSAA, AASS) frequentiores (275) sunt quam reliquae formae, quae dispositionem per chiasmum praebent (193). Cum autem caesura omnes has formas in duas partes aut aequaliter aut inaequaliter dividere possit, hoc monendum est in prima et in tertia serie divisionem aequalem, in secunda autem inaequalem multo frequentiorem esse. Quibus in rebus optimorum poetarum exempla Dracontius secutus est.

Appendix.

Hac appendice breviter comprehendam observationes metricas ad Satisfactionem Dracontii pertinentes, quae distichis constat.

Has formas hexametri exhibent: dddd 8=5,06 %, ddds 11=6,96 %, ddss 15=9,49 %, dsss 22=13,92 %, dsds 22=13,92 %, dssd 12=

7,60 $^0/_0$, dsdd 9=5,70 $^0/_0$, ddsd 13=8,23 $^0/_0$, ssss 1=0,63 $^0/^0$, sssd 2=1,27 $^0/_0$, ssdd 9=5,70 $^0/_0$, sdsd 4=2,53 $^0/_0$, sdds 8 = 5,06 $^0/_0$, sdss 9=5,70 $^0/_0$, ssds 13=8,23 $^0/_0$: summa est hexam. 158.

Et pentametri: dd 60=37,97 $^0/_0$, ds 55=34,81 $^0/_0$, ss 16=10,13 $^0/_0$, sd 27=17,09 $^0/_0$: summa est pentam. 158.

In hexametris (in primis quattuor pedibus) adhibiti sunt spondei 315=49,84 $^0/_0$ et dactyli 317=50,16; in pentametris (in primis duobus pedibus) spondei 114=36,08 $^0/_0$, et dactyli 202=63,92 $^0/_0$; id est in toto carmine spondei 429 = 45,25 $^0/_0$, et dactyli 519 = 54,75 $^0/_0$.

Spondeum in primo pede habent hexam. 46=29,11 $^0/_0$, pentam. 43=27,22 $^0/_0$, id est vv. 89=28,16 $^0/_0$.

In primo pede vocabulum spondiacum exhibent hexam. 6 (v. 103, 143, 231, 263, 281, 309)=3,80 $^0/_0$, pentam. 5 (v. 8,42, 206, 264, 310)=3,16 $^0/_0$, id est vv. 11=3,48 $^0/_0$.

Praebent formam Dd (id est dactylum in primo pede et hexametri et pentametri) disticha 82=51,90 $^0/_0$, formam Ds (i. e. dactylum in primo pede hexam. et spondeum in pr. p. pentam.) dist. 31=19,62 $^0/_0$, formam Ss (i. e. spondeum in pr. p. et hex. et pent.) dist. 12=7,60 $^0/_0$, formam Sd (i. e. spond. in pr. p. hex. et dact. in pr. p. pent.) dist. 33=20,88 $^0/_0$.

In toto carmine habes hexametros dactylicos (dddd, ddds, dsdd, ddsd, sddd) 41, spondiacos (ssss, sssd, sdss, ssds, dsss) 47, pares (ddss, dsds, dssd, ssdd, sdsd, sdds) 70 et pentametros dactylicos (dd) 60, spondiacos (ss) 16, pares (ds, sd) 82.

Caesuram penthemimerim habent hexam. 114=72,16 $^0/_0$, penthemimerim cum trithemimeri hex. 2=1,27 $^0/_0$, hephthemimerim cum penthemimeri et trithemimeri hex. 1=0,63 $^0/_0$, hephthemimerim cum trithemimeri et cum fine verbi post tertium trochaeum hex. 21=13,29 $^0/_0$, hephthemimerim cum penthemimeri hex. 18=12,38, penthemimerim cum bucolica hex. 2 (v. 193 et 225)=1,27 $^0/_0$.

In hexametris deprehendi elisiones 10 = 6 $^0/_0$, in pentametris 14=9 $^0/_0$, in toto carmine 24=7,59 $^0/_0$.

In hexam. eliditur vocalis brevis ante brevem in thesi primi pedis v. 121, 167, 283, in thesi secundi pedis v. 171, ante lon-

gam in thesi secundi pedis v. 181, longa ante longam in arsi primi pedis v. 283, in arsi secundi pedis v. 51, 301, in thesi secundi pedis v. 265, in thesi quarti pedis v. 209.

In pentam. eliditur vocalis brevis ante brevem in thesi primi pedis v. 220, 282, in thesi secundi pedis v. 78,156, in thesi tertii pedis v. 306, in thesi quarti pedis v. 76,192, longa ante longam in arsi primi pedis v. 150, in arsi secundi pedis v. 16,206, longa ante brevem in thesi primi pedis v. 38, vox in *m* exiens ante longam in arsi secundi pedis v. 98,282, vocalis anceps ante brevem in thesi quarti pedis v. 92. Elisiones duriores fere absunt: duas elisiones habent vv. 282 et 283.

Exeunt in bisyllabum hexam. 71=44,94 %, in trisyllabum 83=52,53 %, in monosyllabum 4 (v. 1, 107, 189, 195)=2,53 %: clausulas minus legitimas vv. 107 (*reus sum*) et 195 (*pius sit*) praebent.

Exeunt in bisyllabum pentam. 117=74,05 %, in trisyllabum 32=20,25 %, in polisyllabum 9 (vv. 12, 20, 22, 74, 100, 144, 186, 200, 254)=5,70 %. Ex clausulis trisyllabis valde displicent hae: vv. 98, 108, 122, 146, 150, 172, 232, 252, 290, 292, 294, 302, 304, 308: reliquae enim excusari possunt cum praecedat monosyllabum aut bisyllabum cum elisione. Clausulae polisyllabae parum legitimae sunt omnes.

Exeunt in vocalem brevem pentam. 9 (v. 12, 20, 22, 42, 56, 102, 130, 222, 308)=5,70 %, quod optimi poetae semper vitaverunt.

Denique, quod attinet ad collocationem substant. et adiect., in Satisfatione hos numeros inveni. Formae simplices: AS/ 14, /AS 36, A/S 7, ... A/ . . . . . S 7=64, SA/ 19, /SA 34, S/A 3,. . . . S/. . . . A 4=60: formae duplices I ser.: SAS'A' 1, ASS'A' 1, SAA'S' 2, ASA'S' 1, S'A'SA 3, A'S'SA 3, S'A'AS 2, A'S'AS 2=12, II. ser.: SA'S'A 2, AA'S'S 3, A'SAS' 1, A'ASS' 3,=9, III. ser.: SA'AS' 1, S'AA'S 1, AA'SS' 1=3.

Formae quae dispositionem parallelam exhibent frequentiores (14) sunt, quam reliquae formae (10), quae dispositionem per chiasmum praebent. In prima et in tertia serie divisio aequalis inaequali longe frequentior est, in secunda autem divisio aequalis nusquam reperitur.

PARS ALTERA

De rebus prosodiacis.

A

De syllabis finalibus propter caesuras productis.

Interdum Dracontius syllabas finales ante caesuras produxit, cuius rei exempla omnia afferam.

Ante caesuram trithemimerim syllabae finales his locis productae sunt: Carm. min. X. 139 *precibūs*, carm. de Deo I. 430 *proicerē*, 596 *modō*, II. 11, *partitā*, 267 *agīt*, 563 *suspensūs*, Orest. 197 *agīs*.

Ante caesuram penthemimerim his locis: Carm. min. V. 35 *Gothūs*, VIII. 522 *egō*, 579 *elusā*, X. 349 *flammā*, 519 *ingratūs*, carm. de Deo I. 126 *metā*, 196 *nemūs*, 380 *uxorē*, 402 *humūs*. 436 *bonūs*, 603 *immensā*, 737 *decrescentē*, II. 361 *gigantaeā*, 647 *datūr*, III. 19 *lucē*, Orest. 60 *citō*.

Ante caesuram hephthemimerim his locis: Carm. min. X. 251 *egō*, carm. de Deo I. 293 *Deūs*, 719 *variāt*, 735 *capitē*, II. 203 *laudāt*, 355 *patrīs*, 392 *altā*, Orest. 368 *Troēs*, 784 *chaōs*.

B

De quantitate syllabarum finalium.

Saepe syllabas ultimas, quae in breves vocales cadunt, duarum consonantium, a quibus voces sequentes incipiunt, vel mutae cum liquida vel *s* literae cum *c* vel *p* vel *t* concursu Dracontius produxit. Haec sunt exempla: Carm. min. IV. 17 *sinē trucibusque*, 51 *gelidā flammis*, V. 266 *optatā praesentia*, 309 *ingruerē fremitusque darē procul*, VI. 64 *pudicitiā procedit*, VII. 43 *pudicitiā stricto*, VIII. 2 *pastoralē scelerati*, 85 *turbā stipata*, 94 *egō. fratrem*, 95 *egō Priamique*, 195 *zonā flammatur*, 280 *invidiā Priamo*, 299 *sup-*

pliciā? *Priamo*, 330 *invidiā frangat*, IX. 129 *piā promovit*, X. 400 *orā clarissima*, 461 *terrā strepitum*, 512 *oblatā sponsae*, Satisf. 137 *terribilē fremit*, 315 *culpā plectente*, carm. de Deo I. 132 *quantā spes*, 135 *opē clarescere*, 138 *aquā glomeratis*, 143 *aquā glaciemve*, 476 *exactā spatiā procedere*, 521 *vipereā clamans*, 524 *venturā scire*, II. 331 *lunā stellaeque*, 333 *militiā praeclara*, 358 *fontē sceleris*, 370 *terrigenā proles*, 418 *meritā pro*, 442 *purpureā flos*, 529 *veniā praecedit*, III. 29 *usurā praestatur*, 199 *ferā stans*, 357 *suā stravit*, 385 *scelerē prostrata*, 450 *suā flammis*, 540 *iniunctā placido*, 550 *egō plus*, 564 *veniā sperata*, 579 *Dominē clementia*, 581 *meā gravor*, 605 *suppliciā scelerum*, 665 *tuā praeconia*, Orest. 87 *deā praeclara*, 102 *deā crudescit*, 213 *egrederē praeventor*, 553 *agamemnoniā proles*, 656 *familiā scelus*, 717 *suppliciā scelerum*, 786 *purpureā praestricto*, 939 *factā tractantur*, 972 *mycenaeā triplex*.

Frequentiora autem sunt exempla productionis *h* litterae asperitate effectae: Carm. min. II. 45 ā*t his*, 97 *invalidūs haec*, V. 60 *nēc haec*, 93 *sūb hoste*, 136 *civīs haec*, 167 *petīt hoc*, 182 *nullūs hoc*, 206 *Mariūs hinc Sylla ferūs hinc*, VI. 55 *rapiāt hac*, VIII. 37 *abīt: heu*, 175 *solēt haec*, 189 *exclamāt Helenus*, 201 *nēc hoc*, 290 *Aiacīs haec*, 338 *decēt haec*, 608 *memōr Heleni*, IX. 69 *quīs hostis*, 89 ā*t hic*, 102 *Apollineūs hinc*, 160 *vidēt hoc*, 173 *iubēt hinc*, 212 *dolēt haec*, 217 *fortīs habeatur* , 223 *capīt haec*, X. 89 *vidēt hic*, 141 *excipiāt hoc*, 232 *fuerīs homicida*, 303 *anūs: haec*, 327 *virūm haec* (hiatus adest), 494 *parāt haec*, Satisf. 13 *iratūs homines*, 62 ū*t habeant*, 92 *simūl hoc*, 135 *dāt hostibus*, 185 *perdidimūs hac*, 191 *impendīt homini*, 207 *adversūs hostes*, 305 *poscīt hac*, carm. de Deo I. 57 *quōd hominis*, 61 *creāt hinc*, 428 *proptēr hominem*, 471 *adīt heu*, 519 *damūs homines*, 524 *genūs hominum*, 557 *gravīs hominum*, 617 *dedīt homini*, 693 *iuvāt hominum*, II. 243 *similīs heu*, 278 *iubēt haec*, 363 *nullūs hominum*, 404 *peiūs hominum*, 496 *crucīs hostis*, 608 *accipimūs heu*, 653 *facinūs homicida*, 709 *simūl horrenda*, III. 45 *praesentīs hic*, 142 *manūs hocce*, 210 *sēd hic*, 246 *legāt haec*, 263 *miretūr hominum*, 333 *tulīt hoc*, 410 *implevīt horrendae*, Orest. 307 *legitimūs heres*, 457 *pēr haec*, 469 *laborastīs Helenam*,

511 *veniĕt his*, 660 *exsurgăt hinc*, 740 *pĕr haec*, 894 *oblitŭm humani* (hiatus adest), 944 *erăt habuit*, 947 *deŭm homini* (hiatus adest).

Nunc autem videamus de syllabis finalibus in *o* desinentibus. Usus substantivorum in *o* exeuntium apud Dracontium est hic: *virgŏ* (carm. min. II. 29, IV. 50, VIII. 36, 166, 188, IX. 40, 173, X. 64, 152, 195, 216, 225, 422, 477, 513, carm. de Deo 384, 445, II. 129, Orest. 57, 60, 74), *imagŏ* (carm. min. II. 81, carm. de Deo I. 525, Orest. 67, 858), *Junŏ* (Carm. min. IV. 6, 13, 21, VII. 61, VIII. 229, X. 49, 82, 135, 141, carm. de Deo II. 581), *mucrŏ* (carm. min. IV. 50, V. 276, X. 80, 239, 541, Orest. 91, 841), *formidŏ* (carm. min. V. 22, carm. de Deo III. 344, 656, Orest. 422), *praedŏ* (carm. min. V. 75, VIII. 360, 544, X. 368, Satisf. 143, carm. de Deo III. 319, Orest. 507), *Carthagŏ* (carm. min. V. 109, 117, 148), *ultiŏ* (carm. min. V. 157, Satisf. 102, carm. de Deo I. 547, Orest. 138, 905), *dominatiŏ* (carm. min. V. 207), *Scipiŏ* (carm. min. V. 208), *sanctiŏ* (carm. min. V. 233), *praescriptiŏ* (carm. min. V. 250), *libidŏ* (carm. min. VI. 61, X. 264), *Apollŏ* (carm. min. VII. 18), *oblitiŏ* (carm. min. VII. 119, X. 271), *portiŏ* (carm. min. VIII. 9, carm. de Deo I. 328, III. 403, 543 Orest. 135), *possessiŏ* (carm. min. VIII. 196, carm. de Deo I. 394) *passiŏ* (carm. min. VIII. 174, Satisf. 264, carm. de Deo II. 517), *legatiŏ* (carm. min. VIII. 259, 429, 586, carm. de Deo III. 408), *successiŏ* (carm. min. X. 128), *temŏ* (carm. min. X. 559), *homŏ* (Satisf. 38, 92, carm. de Deo II. 250, 352), *grandŏ* (Satisf. 79, carm. de Deo I. 6, II. 207), *leŏ* (Satisf. 137, carm. de Deo II. 259), *ordŏ* (Satisf. 216, Orest. 935), *hirundŏ* (Satisf. 268), *indignatiŏ* (carm. de Deo I. 17), *cardŏ* (carm. de Deo I. 124), *turbŏ* (carm. de Deo I. 189), *compagŏ* (carm. de Deo I. 346), *dulcedŏ* (carm. de Deo I. 365), *digestiŏ* (carm. de Deo I. 486), *rubigŏ* (carm. de Deo I. 503, *natiŏ* (carm. de Deo I. 521) *praesumptiŏ* (carm. de Deo I. 565, II. 625, III. 248), *sermŏ* (carm. de Deo I. 688, 753), *iussiŏ* (carm. de Deo I. 689), *defensiŏ* (carm. de Deo I. 729, II. 685), *excusatiŏ* (carm. de Deo II. 270), *narratiŏ* (carm. de Deo II. 448), *oratiŏ* (carm. de Deo II. 751), *precatiŏ* (carm. de Deo II. 752), *praecŏ* (carm. de Deo III. 221), *umbŏ* (carm. de

Deo III. 277), *confessiŏ* (carm. de Deo III. 563), *miseratiŏ* (carm. de Deo III. 578), *propagŏ* (carm. de Deo III. 641), *Didŏ* (carm. de Deo III. 499), *cognatiŏ* (Orest. 968), *origŏ* (Orest. 38, 357), *verberŏ* (Orest. 426), *nemŏ* (carm. min. II. 48, V. 123, 222, VIII. 202, 258, 374, 606, Satisf. 54, 131, carm. de Deo I. 87, 99, 750, II. 178, III. 262, 357, 527, 665, Orest. 801, 924), *carŏ* (carm. de Deo II. 87): contra *ratiō* (carm. min. V. 306, carm. de Deo II. 711), *homō* (carm. min. VIII. 8, 10, 634, X. 444, carm. de Deo I. 97, 352, 619, II. 78, 81, 235, 431, 575, 720, III. 205, *Junō* (carm. min. VIII. 166), *religiō* (carm. min. X. 323), *leō* (carm. de Deo I. 295), *regiō* (carm. de Deo II. 453), *praedō* (carm. de Deo III. 75). De usu verborum, quae in *o* cadunt, haec exempla inveni: *poscŏ* (carm. min. II. 9, Satisf. 108), *audeŏ* (carm. min. II. 19), *succendŏ* (carm. min. II. 35), *narrabŏ* (carm. min. II. 159), *sentiŏ* (carm. min. V. 21), *mandŏ* (carm. min. VI. 81), *dicŏ* (carm. min. VIII. 15), *colligŏ* (carm. min. VIII. 23), *cedŏ* (carm. min. VIII. 180), *arceŏ* (carm. min. VIII. 131), *petŏ* (carm. min. X. 76, Orest. 534), *estŏ* (carm. min. X. 214), *addŏ* (carm. de Deo II. 254, III. 359, *superaddŏ* (carm. min. X. 427, Orest. 200), *offerŏ* (carm. min. X. 429, Orest. 769), *commendŏ* (carm. min. X. 554, *retorqueŏ* (Satisf. 117), *rogŏ* (Satisf. 283, Orest. 13, 422, 927, carm. de Deo III. 204, 361, 648), *putŏ* (carm. de Deo I. 243, III. 570, Orest. 924), *ignoscendŏ* (Satisf. 149), *calcandŏ* (carm. de Deo I. 497), *reputandŏ* (carm. de Deo II. 368 III. 384), *populandŏ* (carm. de Deo II. 496), *saltandŏ* (carm. de Deo II. 794), *undandŏ* (carm. de Deo III. 103), *spernendŏ* (carm. de Deo III. 279), *perstandŏ* (carm. de Deo I. 93) *fundŏ* (carm. de Deo III. 602), *noscŏ* (carm. de Deo III. 655), *quaesŏ* (carm. de Deo III. 597, Orest. 589, 936), *gaudeŏ* (Orest. 69, 913), *serviŏ* (Orest. 83), *pergŏ* (Orest. 99), *ferŏ* (Orest. 178), *volŏ* (Orest. 179), *extorpeŏ* (Orest. 180), *imperŏ* (Orest. 187), *sternŏ* (Orest. 203), *dabŏ* (Orest. 211, 611), *vibrandŏ* (Orest. 226), *spondeŏ* (Orest. 394), *orŏ* (Orest. 490), *linquendŏ* (Orest. 514), *transigŏ* (Orest. 561), *pugnandŏ* (carm. de Deo III. 354), *perpendŏ* (Orest. 562), *satiabŏ* (Orest. 576) *ibŏ* (Orest. 609), *itŏ* (Orest. 667), *satiarŏ* (Orest. 689), *vindicŏ* (Orest. 705), *vivŏ* (Orest. 737), *mactŏ* (Orest.

770), *arguŏ* (Orest. 893), *laniandŏ* (Orest. 909), *discernŏ* (Orest. 920): contra *iubeō* (carm. min. II. 13), *erō* (carm. min. II. 161, VII. 134, Orest. 511), *sumō* (carm. min. III. 17), *reddō*, (carm. min. III. 18), *gerō* (carm. min. IV. 32, carm. de Deo III. 571), *quaesō* (carm. min. IV. 40), *vocō* (carm. min. VI. 22), *optō* (carm. min. VI. 30), *nequeō* (carm. min. VII. 69, carm. de Deo III. 596), *vetō* (carm. min. VIII. 31), *parō* (carm. min. VIII. 223 X. 422), *ducō* (carm. min. VIII. 529), *agnoscō* (carm. min. X. 91), *iaceō* (carm. min. X. 208), *pereō* (carm. min. X. 239), *cognoscō* (carm. min. X. 348), *dabō* (carm. min. X. 514, carm. de Deo II. 465, Orest. 96), *ignoscō* (Satisf. 301), *poterō* (carm. de Deo I. 750), *praetereō* (carm. de Deo II. 247), *explebō* (carm. de Deo III. 555), *ferō* (carm. de Deo III. 604), *advertō* (carm. de Deo III. 656), *dubitō* (Orest. 90), *petō* (Orest. 90), *cupiō* (Orest. 361), *aderō* (Orest. 835, *canō* (carm. min. VIII. 152). Denique monendum est Dracontium semper scripsisse *duŏ*, *ambŏ*, *quandŏ*, *ergŏ*, *intrŏ*, *modŏ*, his locis exceptis: carm. de Deo I. 596 *modō*, II. 613, *quandō* (at sequitur *sperare*), III. 154 *ergō*.

Hoc loco nihil nisi id adnotandum est, Dracontium eo, quod vocalem *o* plerumque pro correpta usurpavit, ab optimis poetis pendere, si excipias formas imperativi et gerund. ablat.: de qua correptione cfr. L. Muellerum p. 339.

C

De syllabarum quantitate ad arbitrium immutata.

Digna quae memorentur haec sunt exempla:

Năīdis (carm. min. II. 81). Cfr. alia et proba mensura *Naidas* (carm. min. VII. 35): qua re Baehrens *Napaae* proposuit et Ellis ordinem verborum immutavit, totum versum sic refingens: *moxque dei vultus Naidis vestivit imago.*

Dīone (carm. min. II. 119): alibi (carm. min. VI. 12, 21, 104, VII. 36, 63, 138, 153, VIII. 240, 435, 471, 475, 498, 515, X.

81, 144, 590, 597) Dracontius rectam mensuram adhibuit. Pro *Dione* Baehrens *Oenone* scripsit.

tăbescens (carm. min. IV. 31): Baehrens coniecit *fatiscens* et Buecheler *labascens*.

nĭtitur (carm. min. V. 25): Baehrens scripsit *nunc it*.

Phoenīces (carm. min. V. 116 et carm. de Deo I. 693): cfr. *Phoenīce* (carm. de Deo I. 326).

sorbĕre (carm. min. V. 212).

Vergĭnia (carm. min. V. 254).

Lăoconta (carm. min. V. 285): cfr. *Lăocon* (carm. min. VIII. 181). Baehrens scripsit *Lauconta* et *Laucon*.

schōlasticus (carm. min. VI. 41).

mercēs (carm. min. VI. 56).

flăbello (carm. min. VII. 20, carm. de Deo III. 635): pro *flabello* priore loco Baehrens et Barwinski *labello* scripserunt

Ĕolus (carm. min. VII. 144).

Ōrĕadas (carm. min. VII. 35).

Musăgenes (carm. min. VIII. 23).

abdīcor (carm. min. VIII. 96) et *abdīcas* (carm. min. IX. 129).

Hĕcuba (carm. min. VIII. 96, ut semper).

Clōthō (carm. min. VIII. 203).

Admĕtus (carm. min. VIII. 210).

Hĕlena (carm. min. VIII. 440).

dĕtur (carm. min. VIII. 314, IX. 81, 226, carm. de Deo III. 679).

impăr (carm. min. VIII. 213). Ribbeck et Baehrens, ut vitium metricum tollerent, varie verba tradita vexarunt.

muliĕris (carm. min. VIII. 508 et X. 5): cfr. *muliĕre* (carm. de Deo II. 133, 160, Satisf. 161, Orest. 661) et *muliĕribus* (carm. de Deo III. 463).

ămens (carm. min. VIII. 574). Baehrens, ut probam mensuram restitueret, verborum ordinem immutavit.

Trōilus (carm. min. VIII. 625): sed recta mensura carm. min. VIII. 129, 155, 631.

quōque (carm. min. VIII. 637 et X. 439).

Polyxēne (carm. min. IX. 40).

Chrysēs (carm. min. IX. 102): cfr. *Eteoclēs* (carm. min. X. 585), *Polynicēs* (carm. min. X. 586), *Orestēs* (Orest. 708), *Pyladēs* (Orest. 517), ut semper).

Mīnos (carm. min. IX. 133).

Jasŏn (carm. min. X. 42 et 254): cfr. *Agamemnŏn* (Orest. 410).

vĕneat (carm. min. IX. 261). *Veniat* est in codice, unde Baehrens *valeat* scripsit: sed nostra scriptura verior est; cfr. *vĕniens* (carm. min. IX. 219 .

ăiebat (carm. min. X. 327). Buecheler *agebat* et Baehrens *aibat* scripsit.

mītescit. (carm. min. X. 334). Baehrens coniecit: *ministris*, Buecheler *tepescit*, Wagler *nitescit.*

repūdia (carm. min. X. 295).

venustās (carm. min. X. 53). Sed locus aperte corruptus est, quamvis medicina idonea nondum inventa sit. Pro *venustas amoris* Ribbeck scripsit : *venusta decora*, Baehrens et Schenkl : *venusta suavis.*

Aeētis (carm. min. X. 59). Sed haec lectio dubia est. Codex habet: *Aethos* et versui corruptelae nota praefixa est. Si cum Baehrensio *Aeetae* scribas omnis difficultas tollitur.

ălitem (carm. min. X. 109). Sed locus fortasse depravatus est. Baehrens temptavit: *ipsam*, Ellis: *diem*, Barwinski: *agilem.*

decōrat (carm. de Deo I. 248).

vağăbunda (carm. de Deo I. 257).

cŏpulate (carm. de Deo I. 407): cfr. *cŏpuletur* (carm. min. VII. 36), ubi Duhnius *copletur* scripsit.

molēs (carm. de Deo I. 603).

īnitium (carm. de Deo I. 131 et II. 516).

thrōnumque (carm. de Deo II. 147), ut *thrōnus* (carm. de Deo II. 204).

fīent (carm. de Deo I. 82), ut *fīant* (carm. de Deo II. 191) et *fĭat* (carm. de Deo III. 135).

ună (carm. de Deo II. 158).

rĕpit (carm. de Deo I. 288).

altā (carm. de Deo II. 392).

idŏla (carm. de Deo II. 579 et Satisf. 96).
suspensūs (carm. de Deo II. 563).
xēnia (carm. de Deo II. 768): codex *sevia* habet, sed non video quo alio modo corrigas.
sīt (carm. de Deo III. 94).
Ĭsac (carm. de Deo III. 123 et 139).
Danīelem (carm. de Deo III. 183).
ariĕtem (carm. de Deo III. 111).
Măgum (carm. de Deo III. 229).
Sīmŏna (carm. de Deo III. 230).
Leonīdae (carm. de Deo III. 274).
Mĕnĕcēa (carm. de Deo III. 256).
Sēmĭramis (carm. de Deo III. 483).
Nīno (carm. de Deo III. 483).
prŏpago (carm. de Deo III. 641).
Cȳro (carm. de Deo III. 489).
Tītus (Satisf. 183).
Stēphanus (Satisf. 171): sed proba mensura carm. de Deo II. 572.
prōpitius (Satisf. 14).
pĭcus (Satisf. 268).
senectūs (Satisf. 224).
turībula (Orest. 52).
Ĭphīgĕnia (Orest. 52) et *Ĭphīgĕnia* (Orest. 874).
rēperdere (Orest. 179) et *rēcerpite* (Orest. 396): viri docti varie verba tradita vexarunt.
Ĕgiste (Orest. 35, ut semper).
Pȳlădis (Orest. 150, ut semper).
praeire (Orest. 46).
stătim (Orest. 708).
exīmeret (Orest. 572).
fāmilia (Orest. 656).
extrā (Orest. 262).
Tĕrĕsīas (Orest. 953).
Enyŏ (Orest. 785).

Menelaūs (Orest. 196).

ōdia (Orest. 546).

Apparet igitur Dracontium turpius peccasse in verborum mensura; sed hoc maxime vituperandum esse quod nimia licentia in nominibus propriis usus sit.

IV.

De Dracontio Orestis auctore

De *Orestis* auctore cuius nomen neque codicum inscriptiones neque alia veterum testimonia nobis tradiderunt, longa inter viros doctos, priusquam Dracontii carmina minora in vulgus proposita sunt, controversia extitit. Ac primum quidem, ut eos praetereamus qui medio aevo *Orestem* Horatio et Lucano assignarunt, Lelandus in libro quem de scriptoribus Britannicis composuit mirificam sane sententiam de hoc carmine tulit: coniecit enim *Orestem* ab illo Pomponio Secundo conscriptum esse, quem Tacitus (ann. XII. 28) et Quintilianus (instit. orat. X. 1,98) summis laudibus affecerunt. Quam coniecturam iam C. G. Mueller refellit: carmen enim de quo agimus multum ab incorrupta latini sermonis integritate abest eamque ob rem ad saeculum aureum nullo pacto referri potest. Deinde Fr. Haase (Miscell. philol. l. III. p. 32) auctorem huius carminis adulescentulum fuisse et rhetoricae iurique vacasse neque fidem christianam secutum esse putavit. Contra Maehly (proleg. Orest. edit. p. XIII) et L. Mueller (Rhein. Mus. XXI p. 453 sqq.) ex precatione pro universa Graecorum gente, quae in exitu carminis extat, eum Graecum fuisse contenderunt. Denique Schenkl propter huius libelli cum carminibus Corippi, Luxorii ceterorumque poetarum Africanorum similitudinem, *Orestis* auctorem ex Africa oriundum fuisse coniecit: idem ex *Orest.* vv. 356 sq. et 946 eum fidem christianam professum esse atque ex ipsius carminis proprietatibus omnibus ad sermonem et ad rem metricam spectantibus saeculo sexto post Chr. n. floruisse suspicatus est.

Anno 1871, Romae, in appendice operum A. Maii emissus est Dracontii *Helenae raptus* et duobus post annis Dracontii carmina minora ex codice neapolitano Fr. de Duhn iuris publici fecit. Jam pridem A. Mai *Orestem* Dracontii esse coniecerat, sed postquam

cetera Dracontii carmina in publicum prodierunt, viri docti Maii coniecturam argumentorum momentis probare conati sunt: nam si M. Schmidtium excipimus (Rhein. Mus. XXVIII. p. 202), qui, nullo fretus argumento, hoc carmen Feliciano, Dracontii magistro tribuit, nemo extitit qui *Orestem* a Dracontio abiudicarit.

Nunc autem videamus quomodo evinci possit Dracontium *Orestis* auctorem fuisse. Res quidem est longa atque laboriosa. Primum enim probandum est *Orestis* auctorem eisdem legibus grammaticis teneri quibus Dracontium, deinde utriusque scriptoris genus dicendi comparandum est, tum loquendum est de congruentibus in *Oreste* et in ceteris Dracontii carminibus sententiis, versibus, versuum particulis, quarto loco demonstrandum est ab utrorumque carminum auctoribus eosdem poetas adamatos atque expressos esse, postea de simillima res mythicas tractandi ratione ac via dicendum est, denique evincendum est easdem rationes metricas et prosodiacas quas in Dracontii carminibus in *Oreste* adhibitas esse.

Quaestiones tamen, quas modo proposuimus, a viris doctis fere omnes absolutae sunt. Peiper (Orest. edit. Wratislaviae, 1875) enim multos locos ex *Oreste* attulit, qui etiam apud Dracontium inveniuntur: reliquos Westhoff (Quaest. grammat. ad Drac. carm. min. et Orest. trag. spectantes, Monasterii 1883), Rossberg (Materialien zu einen Commentar ueber die Orest. trag. des Drac. Hildesheim 1888-89), Barwinski (Quaestiones ad Drac. et Orest. trag. pertinentes I. Gottingae 1887) contulerunt. De elocutionis similitudine quae Dracontii carminibus cum *Oreste* intercedit uberius disputaverunt Westhoff (op. l.) et Barwinski (op. l.). Praeterea Rossberg (De Drac. et Orest. quae vocatur tragoediae auctore eorumdem poetarum Vergilii etc. imitatoribus. Nordae 1880) magnum locorum numerum attulit, quibus manifesto apparet *Orestis* auctorem et Dracontium eorundem priorum poetarum Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani vestigia secutos esse. Barwinski autem (op. l.) multas imitationes adiecit a Rossbergio praetermissas addiditque imitationes Lucretii, Catulli, Tibulli, Propertii, Horatii, Senecae, Valerii Flacci, Homeri latini, Iuvenalis, Martialis, Prudentii, Reposiani, Corippi, quae *Orestis* auctori cum Dracontio communes

sunt. Denique idem Barwinski (Quaest. II. Deutsche Krone 1888) utriusque scriptoris rerum mythicarum tractationem simillimam esse demonstravit.

Quae cum ita sint, hoc superest ut exquiratur eaedemne rationes metricae et prosodiacae in Dracontii carminibus quae in *Oreste* adhibitae sint necne. Res quidem prosodiacas Barwinski (Quaest. III. Deutsche Krone 1890) tractavit, sed carmen de Deo plane neglexit; res autem metricas nemo, quantum scio, adhuc perspexit.

Si quis commentationem nostram de rationibus metricis et prosodiacis ad Dracontium pertinentibus diligenter perlustraverit, maximam similitudinem, quod ad artem metricam attinet, inter *Orestem* et reliqua Dracontii carmina extare iam perspectum habebit: de quo verba facere iam supersedeo. Litem igitur de *Orestis* auctore iam diiudicatam esse nemo infitiabitur: dubium enim esse non potest quin *Orestem* Dracontius composuerit.